

**Dissertatio medica inauguralis, de hydrothorace ... / Eruditorum examini  
subjicit Edvardus Kelly.**

**Contributors**

Kelly, Edward.  
University of Edinburgh.

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant C. Stewart et socii, Academiae typographi, 1801.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/urq4bpgd>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
*HYDROTHORACE,*

---



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

12

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
*HYDROTHORACE;*

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,  
D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.  
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;  
NEC NON  
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;  
Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

*PRO GRADU DOCTORIS,*  
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit  
EDVARDUS KELLY, A. B.

TRIN. COLL. DUB.

*HIBERNUS.*

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:  
EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCIJ,  
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

---

M DCCC I.



DISSERTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

DISSERTATIO MEDICA

HYDROPHORIAE

DE

CAUSIS ET SYMPTOMATIBUS

HYDROPHORIAE

ACADEMIAE SCIENTIARUM PRAGENSIS

RECTOR

AD CAROLUM KERRERUM

ACADEMIAE SCIENTIARUM PRAGENSIS

PRO GRADU DOCTORIS

ONSTAT machina humana ex variis organis

variis officiis fungenda designatis, totius sani-

necessaria; si horum organorum quaedam

pediantur, ac ut in officio facile se perire

qui nequeant, universum systema damno ma-

vel minore necessario afficiunt. Ex omni-

humani corporis functionibus, nulla est nobi-

et haud dubie, nulla majoris momenti quam

circulatio; ad promovendam sanguinis circui-

vitam et vigorem universo systemati imper-

tem, officium pulmonum nil minus necessa-

A

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
*HYDROTHORACE.*

---

EDVARDO KELLY AUCTORE.

---

CONSTAT machina humana ex variis organis, ad varia officia fungenda designatis, totius fanitatis necessaria; si horum organorum quædam impediuntur, sic ut suo officio facilè et perfectè fungi nequeant, universum systema damno majori vel minore necessariò afficiatur. Ex omnibus humani corporis functionibus, nulla est nobilior, et haud dubie, nulla majoris momenti quàm respiratio; ad promovendum sanguinis circuitum, vitam et vigorem universo systemati impertientem, officium pulmonum nil minus necessa-



rium est quam cordis ipsius, sed alterum ex altero pendet. Idcirco hujus organi affectiones medicorum attentionem apprimè sibi vindicare videntur; oriantur autem vel ex causis in pulmonibus ipsis existentibus, vel ab extraneis in thoracis cavitatem introductis, et pulmonum dilatationi obstantibus; ex his nulla alia frequentius occurrit quàm hydrothorax, sequentis dissertationis materia. A Culleno nosologorum summo verbis sequentibus definitur.

“ Dyspnœa, faciei pallor, pedum œdema, urinæ parca, decubitus difficilis, subita et spontanea ex somno cum palpitatione excitatio, aqua in pectore fluctuans. ”

### HISTORIA.

Nec sexus nec ætas ulla, si causæ remotæ fuerint applicatæ, ab hoc morbo immunis eat. Cæterùm eos, quorum corpora ætate provectiori vel morbis præcedentibus franguntur, vel quibus natura habitum laxum et fragilem præbuit, potissimum

simum aggredere solet. Hujus morbi historiam tradere perdifficile est, ob varia quæ ostendit symptomata, et sæpe diu persistat antequam præbeat signa, quibus, an adsit, certè dijudicemus.

Ingruit plerumque cum sensu ponderis et anxietatis sub imam thoracis partem, trunco corporis erecto, sed superiorem versus regionem corpore horizontali; brevi accedit respirandi difficultas, primo nisum faciendo, ut in scalæ, vel locorum acclivium ascensu, percipienda; procedente verùm morbo, dyspnœa fit gravior et magis permanens, præcipuè inter recumbendum.

Supervenit tussis molesta, initio sicca, sed postea stipata cum expectoratione muci, interdum sanguine misti. Cum his symptomatibus conjungitur sitis insatiabilis, et cutis arida; urina evadit parca, præter consuetudinem rubra, et sedimentum lateritium deponit. Jam œdemate afficiuntur pedes, præcipuè versus noctem; est faciei pallor leucophlegmaticus, ictus arteriarum fiunt debiles, abnormes, et sæpe intermittunt. Haud rarò, ubi somnus obrepere incipit ægro, invadunt dira insomnia, et respiratio ad suffocationem



tionem usque difficilis, eum, corde palpitante, è somno subito exilire cogit, et per magnam noctis partem sedeat corpore erecto. Si ex nifu, vel positionis mutatione subitâ fluctuatio in pectore sentiat, non amplius de naturâ morbi dubitare liceat. Magnâ vi aquæ jam cumulatâ, et ægro magis magisque indies debilitato, circuitus fit languidus et tardus, partes extremæ frigescunt, et gangrænâ aliquando afficiuntur, vultus livefcit, pulmones adeo opprimuntur, ut non amplius suo officio fungi queunt, sed post diram anxietatem, et multos conatus irritos, motus omnino cessat.

Si aqua in unâ tantùm thoracis cavâ contineatur, faciliùs recumbit ægrotus latere affecto quam sano, et si conferantur duo thoracis latera, interdum unum altero plus eminet.

#### CAUSA PROXIMA.

Symptomata in historia morbi enumerata originem habent ab aquâ, vel in uno tantùm, vel,  
quod

quod sæpiùs accidit, in utrifque thoracis cavitatibus, accumulâtâ; quæ vel ab exhalatione adanctâ, vel ex abforptione feri effusi imminutâ, vel a ductûs thoracici, vaforumve lymphaticorum rupturâ proficiscitur.

## CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ hujus morbi remotæ à scriptoribus ad duos classes redigi solent. Hæ prædisponentes, illæ autem excitantes denominantur; ad priores referuntur omnia, quæ corpus hydropi proclive reddunt, ad posteriores omnia, quæ conditionem morbidam corpori inducunt.

## CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Inter causas, quæ ad hydropicam diathesin producendam valent, præcipuum certè locum tenent omnia, quæ corporis vigorem et robur imminuunt. Multæ et variæ sunt causæ, quæ corpus debile



bile reddunt, ex iis recensere possumus diætã nimis parcam et aquosam, morbos præcedentes, præcipuè febres intermittentes et remittentes, evacuationes, præsertim sanguinis, nimis largas et iteratas, vitam ignavam et sedentariam, libidinem effrenatam, usum liberiozem liquorum inebriantium, pathemata mentis contristantia, cœlum nimis humidum et nebulosum; omnia hæc, circuitum sanguinis præter naturam languidum efficiendo, nimiam vasorum exhalantium laxitatem inducunt. Præterea virium concoctricium debilitas hunc morbum haud raro gignit, tam ob notabilem ventriculum inter et alias corporis partes consensum, quàm quia sanguis, imperfectè elaboratus, nimiam justo partis aquosæ proportionem continet. Fæminæ, ob laxitatem et debilitatem fibrarum, et etiam propter evacuationes huic sexui proprias, hydropi procliviores sunt quam mares.

Recensendo causas prædisponentes non omit-  
tenda est suppressio perspirationis, vel alius ex-  
cretionis serosæ; aqua enim, quæ per varias ex-  
cretiones exitum obtinere debet, in sanguine re-

tenta,



tenta, effunditur in corporis cavitates, ibi hydro-  
pem producens.

## CAUSÆ EXCITANTES.

Ne varia corporis organa, inter se attritione vel  
adhæfione, dolorem vel molestiam creent, nul-  
lum est humani corporis cavum, quod non per-  
petuò irrigatur rore tenui, destillante ex vasis  
exilibus et perexiguis, arterias exhalantes dictis;  
ne autem aqua, continenter ab exhalantibus di-  
manans, accumulatione quid detrimenti corpori  
adferret, ex iisdem cavis in queis definunt exha-  
lantia, exoritur alius vasorum ordo, quorum offi-  
cium est accipere humorem per vasa exhalantia  
effusum, et eum, viâ ductûs thoracici, in sanguinis  
circuitum deferre. Igitur ut sanum sit corpus,  
necesse est ut quantitas per absorbentia recepta  
adæquet quantitatem ab exhalantibus effusam, et  
ut inter has functiones perfectum existat equili-  
brium. Sed si quando vasa absorbentia ad totam  
effusionem accipiendam parum idonea evadant,  
tunc

tunc perspicuè patet congestionem fieri, et hydropem in eâ parte existere. Ex suprâ dictis facile intelligi potest causas, quæ hydropem excitant, oriri vel,

*1mo*, Ex vasorum exhalantium actione adauctâ : vel,

*2do*, Ex absorbentium actione imminutâ.

*1mo*, Quicquid impedit, vel etiam retardat reditum sanguinis per venas ampliores, exhalationem adaugere haud parum confert, nam sanguis non facilem et liberum ex arteriis in venas transitum obtinens, in illis accumulatur. Idcirco major justo feri quantitas in exhalantia adigitur, illic distensionem efficiens, ob quam debilitantur, et ideo majorem feri quantitatem effundunt quàm à vasis lymphaticis absorberi potest. Citiùs fiat effusio hæc, si quantitas partium aquosarum major solito in sanguine adfit, vel ob evacuationes suppressas, vel ob sanguinis detractiones largas et iteratas, vel ob concoctionem alimenti imperfectam.

Effusionem auctam etiam efficient obstructions cordis vel vasorum majorum, ut polypus cordis,



cordis, ejus parietes vel valvæ, in substantiam offeam conversæ. Eundem præbebit effectum, quicquid obstat cursui sanguinis per pulmones, quorum exempla sæpe occurrunt in tuberculis et asthmate. Viscerum obstructiones ad exhalationem augendam plurimum conferre, notissimum habemus exemplum in ascite à scirrho jecinoris, propter obstructionem transitui sanguinis per venam portarum.

Ut affectiones organicæ dextri cordis ventriculi, propter quas solitam sanguinis copiam ex venâ cavâ non accipit, hydropi totius corporis originem præbent; hujusmodi affectiones finistri cordis ventriculi auctam in thoracis cavitatem effusionem efficient.

Causis quæ exhalationem adaugent jam consideratis, proximè procedimus ad eas, quæ vim absorbentium imminuunt. Inter causas exhalationem adauctam moventes antea enumeravimus debilitatem et laxitatem vasorum exhalantium; hæ autem non minus pollent vim absorbentium quoque diminuere. Ostia enim eorum præternaturam laxata, solitam humoris quantitatem ab-



forbere non possunt, ideóque accumulatio fit. Idcirco videmus quod membra paralyti affecta hydropi haud rarò subjiciuntur.

Ad hunc morbum excitandum quantum possunt obstructions, vel lymphaticorum vel glandularum per quas transeunt, inter medicos parum convenit; sed ubi animo volvamus, quam frequentes anastomoses eorum rami inter se faciunt, satis probabile videtur, hydropem hanc causam rarò agnoscere; nam propter magnam lymphæ vim, quæ per glandulas mesenterii transmeat, eas præcipuè afficiuntur; sed, auctore Culleno, hæc vel multum tumefactæ non in toto afficiuntur.

“ And accordingly I have known several instances of the most part of the mesenteric glands being considerably tumefied, without either interrupting the transmission of fluids to the blood vessels or occasioning any dropsy. ” ||

#### DIAGNOSIS.

|| First Lines, vol. iv. p. 289.

## DIAGNOSIS.

Primo morbi ingressu ab aliis, quibus communes sunt dyspnœa et tussis, haud faciliè dignoscitur hydrothorax. Sed postquam adoleverit, cum nullo alio nisi empyemate confundi periclitatur; si verùm ad symptomata animo attento advertamus, historiam morbi consideremus, et antecedentia respiciamus, hos morbos distinctos habere non adeo difficile inveniemus. Ab empyemate fecerni potest urinâ parcâ, pedum œdeme et subitâ e somno excitatione; præterea, inflammationem semper excipit empyema, et febre hæcticâ stipatur.

## PROGNOSIS.

Est omnis hydropis species, in quacunque corporis parte fiat effusio, periculo plena; nam quoniam morbus plerumque ab atoniâ et debilitate



bilitate totius corporis exoritur, vix unquam unam corporis partem infestat, quin reliqua gradu majori vel minore ejusdem affectionis participes sunt. Periculum tamen erit plerumque pro partis affectæ momento et dignitate; itaque ubi aqua in thoracis cavitatem effusa, impedit actionem pulmonum, vitæ adeo necessariam, prognosis non potest non esse dubia. Sed judicium de hujus morbi eventu formando, oportet ut habeamus rationem causis ex quibus ortum deduxisse videtur. Ex causis supra enumeratis quasdam arte medicâ non amovendas esse, nemo inficiabit. Tales sunt affectiones organicæ cordis vasorumve majorum.

Præterea, si æger sit labefactus ætate provectiori, vel morbis præcedentibus, si urina sit parca, præter solitam rubra, et sedimentum copiosum dejiciens, sitis urgens, respiratio admodum difficilis, et positionem trunci erectam postulans; demum, si adhibitis remediis nil remiserint symptomata, morbi sanationem vix sperare licebit.

Sin contrà, morbus non diu infestaverit, mitiora sint omnia symptomata, ægro non multum

ætatis



ætatis accesserit; pulsus sit æqualis, facilis inter recumbendum respiratio, fitis modica, vires concoctrices parum læsæ, et denique, si auctum urinae profluvium eliciant remedia, spes meliores affulgent.

## SYMPTOMATUM EXPLICATIO.

*Dyspnœa.* Quoniam œconomia animalis legibus constitutum est, sanguinem mutationem quandam in pulmonibus subire, hanc autem effici vi cujusdam portionis aëris atmospherici, cujus, ad hoc consilium, portio certa necessaria est; sed propter humorem ferofum exhalatione adauctâ in cavitatem thoracis effusum, et pulmonum dilatationi obstantem, debita aëris quantitas non amplius ingredi potest, idcirco conatur ægrotus, quantitatem aëris minutio-rem sub singulâ inspiratione acceptam, inspirationibus sæpe iteratis compensare, ex quo oriuntur dyspnœæ symptomata.

*Facies*

*Faciei pallor*, sanguinem non satis elaboratum esse indicat, et humoris serosi proportionem globulos rubros pro ratâ ratione longè excedere; et præterea, quod cursus humorum solito major ad partes internas fit, unde partes corporis externæ, justâ humorum portione privatae, pallescunt.

*Decubitus difficilis*. Trunco corporis erecto, viscera, gravitate suâ, imas abdominis partes petunt; ideoque septum transversum super ea positum descendere potest, ad eundem quoque effectum aqua in thoracis cavitationem effusa nonnihil conferet; sed corpore recumbente, viscera superiorem versus abdominis regionem refluunt, et ejus descensui officiunt, sic ut minus debito ampliatur thorax; propter hoc, cursum per pulmones vix perficiat sanguis, et æger sensum suffocationis perpeffus, corpore erecto sedeat.

*Urinae paucitas*. Secretio urinæ ex parte sanguinis aquosâ fit; sed quum in hydrothorace magna partis serosæ proportio ad cavum thoracis cursum tendit, facillimè intelligi potest, ut quâ ratione fluida per vasa exhalantia effundantur, eadem,



eâdem, eorum fluxum, non tantum ad renes, sed etiam ad alia omnia secretionis organa, parciorem fieri.

*Pedum œdema.* Hoc in omnibus ferè hydropis speciebus occurrit, et comes est non solum hydropis, sed aliorum quoque morborum in quibus existit summa debilitas. Occurrit in hoc morbo, quia sanguis per pulmones difficilè proficiscitur, ideoque, viâ ex venâ cavâ ad dextram cordis auriculam impeditâ, aucta feri quantitas in telam cellulofam effunditur. Si nunc ad telæ cellulosæ structuram, et cellularum communicationem per totum corpus aspiciamus, facilè constabit, serum exhalatum ad imas corporis partes iter deorsum quærere. Idcirco videmus pedes tumescere, præcipuè sub noctem, ob positionem corporis erectam per diem; mane autem attenuari, propter situm corporis horizontalem per noctem.

*Excitatio e somno.* Inter dormiendum omnes functiones vitales minore vi perficiuntur, pulmones aëre non satis distenti sanguinem vix transmittant, et demum ad id officium in toto impares evadunt; igitur ægrotus minus valet pondus



aquæ cordi superincumbentis tolerare, sed subito e somno exilit.

*Palpitatio*, ex eadem causâ oritur. Sanguis enim circum cor accumulatus, id organum ad actionem convulsivam excitat; interdum in pericardium ipsum effusio fit, quæ hujus phænomeni est causa.

### CONSILIA MEDENDI.

Ad tres indicationes referuntur :

1<sup>mo</sup>, Causas remotas evitare.

2<sup>do</sup>, Humorem accumulatum educere.

3<sup>tio</sup>, Morbum recidivum arcere.

1<sup>mo</sup>, Cùm ex variis causis oriri potest hic morbus, ad eas tollendas varia consilia utenda sunt : si ei debilitas originem præbuit, debellanda est diætâ idoneâ, exercitatione, frictione, et solitâ ratione occurrendi debilitati. Si ex viscerum obstructionibus pendet, eas amovere conari conveniet remediis deobstruentibus, præcipuè hydrargyro, tartrite potasse acidulâ et cicutâ. Hy-

drargyrus

drargyrus prodesse videtur non tantum quod huic consilio faveat, sed quinetiam quia absorptionem promoveat. Verum si ad nonnullas hujus morbi causas animum advertamus, clare patebit, optima et sagacissima consilia ad eas depellendas parum posse conferre. Talium exempla sunt polypus cordis, ossificationes ejus valvarum, et ruptura ductus thoracici.

2do, Humorem accumulatum educere.

Educenda est aqua vel per itinera huic consilio naturâ designata, vel per exitus arte factos.

Exitus, naturâ designati, sunt absorbentium ostia, quorum vires augendae sunt, sic ut plus humoris accipiant quam effundere possunt exhalantia. Sed remedia quae absorbentia directe stimulant sunt pauca et minimè fidenda; ad ea igitur confugiendum est, quae absorbentium actionem excitant, excretionem serosas promovendo, et tantam humoris aquosi portionem evacuando, ut effusio in cavum thoracis imminuatur.

Fiunt hae excretionem ex ventriculo, intestinis, organis urinariis, cute, et glandulis salivariis.

*Emetica.* Cum multa occurrere exempla in



quibus hydrops vomitu spontaneo sanatus est, ad emetica interdum haud sine commodo à medicis decursum fuit. Nihil iis potentius actionem vaforum absorbentium promovet, quo fit, ut aqua sanguini prius reddita, postea per renes alvum vel alia itinera è corpore ejiciatur. Sed videntur emetica actionem absorbentium excitare, non tam serofas excretiones augendo, quàm concussum universo corpori impertiendo, et sanguinis circuitum per totum systema accelerando. In plurimis autem hujusce morbi exemplis ab iis abstinendum est; nam sanguinis cursum per pulmones impediunt, et idcirco haemorrhagiae vel apoplexiae proclivitas eorum adhibitionem prohibet.

Praeterea tamenetsi eorum usus cordis et artiarum excitationem provocet; hanc tamen excitationem systematis sanguiferi actio debilior semper excipit; Cullenus, de emeticorum effectu differens, his verbis utitur.

“ But as such increased circulation is not durable, and that it commonly becomes languid in proportion to its former increase, so it may  
“ be

“ be justly doubted if the general stimulus can  
“ be commonly of much service. ”

Ex his remediis validiora ex antimonio præparata aliis anteponenda sunt. Et prodesse videntur præcipuè in ascite.

*Cathartica.* Ob magnam canalis alimentarii longitudinem et vim vasorum exhalantium in eo sitorum, alvum cuncta plurimum possunt ad aquae intercutis exinanitionem, et eorum usus ad hoc consilium antiquissimus est. Alvum cuncta sunt vel drastringa vel leniora.

Ad drastringorum classem pertinent elaterium, gambogia, scammonium, colocynthis, helleborus niger; hæc ab antiquis, propter magnas dotes quas tunc temporis possidere videbantur, hydrogoga denominata sunt. Recentiores autem ab eorum usu abstinuerunt, non modò quasi inutili, sed etiam summum periculum inducente, quamquam enim citius quam ulla alia evacuantium species effectum suum præstent; si tamen post crebrum eorum usum aqua nondum evacuatur, nec symptomata sublevata, ob debilitatem quæ sequitur,



sequitur, secum necessario damnum afferunt.  
Meade de iis agens sequentia adhibet verba.

“ Et ubi fractae vires nocet vehemens per al-  
“ vum purgatio, quò enim plus humoris è cor-  
“ pore ejicitur, eò major ipsius copia brevì in  
“ cavitates refluit. ”

Mitiorum classe includuntur hydrargyrus et  
sales neutri; ex his tartris potassae acidula vix  
ullo alio locum cedit, pollet enim alvi dejectionem  
promovere, et quanquam augeatur excretio  
haec, profluvium urinae nullo modo imminui-  
tur.

*Diuretica.* Magnae parti humoris serosi, quem  
comprehendit sanguis, exitum suppeditant renes,  
et igitur, hydrope curando, effectus optimos saepe  
edunt diuretica. Vires corporis minimè fran-  
gunt, ideoque tutiùs praescribuntur quàm ca-  
thartica, praecipuè si diutiùs persistiterit morbus,  
vel si adsint multa debilitatis symptomata. Quin  
lugendum hæc remedia rarò fidenda esse, et eo-  
rum effectus valdè incerta. Et sæpe videmus  
diuretica validissima parum proficere, et postea  
minus validum magno cum commodo exhiberi.

Eorum



Eorum efficacissima sunt, digitalis, scilla, tartris potassæ acidula, colchicum, nicotiana.

*Digitalis.* Hæc in omni hydropis specie meritò exhibetur, et in hydrothorace præcipuè insignes edit effectus. Medici virium ejus narcoticarum haud ignari ab usu ejus diu abstinuerunt; donec, virtutes ejus in medium protulit Dr. Withering. Ille doses et formam eam adhibendi optimam edocuit; ex eo audivimus, parum auxilii adferre iis, quæis magnum corporis robur, fibræ tensæ, et oris color floridus. In iis autem constitutionibus ubi ictus arteriarum debiles sunt et intermittunt, ubi vultus est pallidus, et labia livida, plurimum prodesse. Insignes infusi digitalis virtutis nuper ipse in nosocomio Edinensi testatus sum. Hoc remedium fæminæ annum septuagesimum sextum agenti, et proculdubio sub hydrothrace laboranti porrexit Professor noster Hope; mox urina à librâ unâ ad sex aucta fuit, aliaque symptomata magnoperè sublevata. Sed tamen non sine maxima cautela præscribenda est hæc herba, ob diros quos plerumque edit effectus, si dosi nimis liberâ adhibeatur.



beatur. Omnes totius systematis functiones perturbat; ictum arteriarum, mirum in modum, tardiores reddit; in systema nervosum potissimum agit, visus affectiones, stuporem, vertiginem et sæpe syncopen inducit. Porro ventriculus nausæ et intestina diarrhœa afficiuntur. Folia herbæ in usu sunt; porrigitur ægro sub formâ pilularum, tincturæ aut infusi; parvis dosibus primò præbenda, et si effectus periculosi ex eâ procedere videantur, ab ejus usu abstinendum est. Ætate adultus gr. i. bis indiè fumere incipiat, cui adjiciendum est quodvis aromaticum, ne ventriculum afficiat. Dosis postea ad gr. iii. paulatim augeatur.

*Scilla.* Olim inter diuretica potentiora habita, vel nunc partes non ignobiles agit; nausæam plerumque molestam creat, quæ vires ejus salutiferas augere videtur, antea enim dixi nausæam haud parum conferre ad excitandam absorbentium actionem. Sed tamen vomitus cautè movendus est, quia tantum hujus medicamenti fastidium affert, ut iterum justâ quantitate dari nequeat. Dosibus admodum parvis primo exhi-



beri debet, postea cùm ei assuetus fuerit æger, doses paulatim augeantur, pilulæ formâ commodissimè administrantur. Scilla cum hydrargyro conjuncta felicissimos edit effectus.

*Tartris potassæ acidula*, inter remedia alvum cientia enumerata est, sed non minus valet ad renum actionem movendam quam intestinorum. Verum ut effectus ejus diureticos cieamus, oportet ut potus manu liberâ concedatur; sine quo vix diuresin promoveat. Nec potus, ut olim opinati sunt medici ægroto denegandus; quædam enim memorata sunt exempla in quibus magna liquorum copia epota, tale urinæ profluvium excitavit, ut aqua hydropica repente evacuata sit. Libera potûs exhibitio præcipuè indicatur, si quantitas fluidorum per organa urinaria excreta adæquet quantitatem ore introductam. Insuper hydropici magnâ siti semper urgentur, et à potu abstinere non possunt sine maximâ molestiâ. Et judice Culleno, abstinere à potu finat renes contrahere, unde actio eorum imminuitur et effusio augetur.



“ I have frequently made this comparison,  
“ and found that a very entire abstinence from  
“ drinking, by diminishing the quantity of  
“ urine voided, allowed the secretories of the  
“ kidneys to fall into a contracted state, so that  
“ the quantity of urine voided was still farther  
“ diminished, and, as I judged, tended to in-  
“ crease the effusion, and thereby to aggravate  
“ the disease. † ”

*Colchicum.* Propter acrimoniam et dotes narcoticas hujus herbæ diu inusitata fuit; donec Stoerk eam experimentis subjecit. Auctore illo, quanquam radix recens, vel minimâ dosi adhibita, effectus pessimos producit, tamen oxymel, vel syrupus ex eo confectus, est remedium valdè innocuum, et feliciter præscribi potest. Sed quam hæc laudibus à Stoerk extollitur, in his regionibus parum processit.

*Nicotiana.* Medicorum attentionem ad nicotianæ virtutes direxit Dr. Fowler; multa ab illo literis mandata sunt exempla in quibus invenit  
inesse

† Cullen's Mat. Med.



ineffe hâc herbâ vires infignes ad diuresin excitandam; secundum verò aliorum experientiam, est huic plantæ facultas valdè mediocris ad hoc consilium; et perraro utitur, nisi cùm incassum tentata fuerunt remedia potentiora. Detur sub formâ infusi vel aquâ vel vino; si-  
millimum est, virtutes, quæ nicotianæ cineri ascribuntur, constare in toto in potassâ, et nullo modo ab aliorum vegetabilium lixivio discrepare.

Diureticorum validiora jam notavi, multa aliâ commemorantur, ut acida, balsama, cantharides, de quorum virtutibus inter medicos haud parum diffidet.

*Diaphoretica.* Cutis hydropicorum plerumque est aridissima, quia pars serosa sanguinis in cavitates corporis infunditur; si ergo excretio vasorum in superficie augeatur, minor fluidorum vis partes corporis internas petit. Evacuatio per diaphoresin accommodatur ad morbum amovendum, præcipuè ubi ex perspiratione suppressâ ortum habuerit, et vires ægri non multum fran-



guntur. Si verò morbus diu perstiterit, vel æger fit debilis, vires corporis nimis exhauriantur hâc evacuatione, et effusio copiosior fiat. Diaphoretica validissima sunt ex antimonio præparata, opium cum ipecacuanhâ conjunctum, vel antimonium et opium sibi invicem commista. Operationem eorum adjuvare debemus balneo calido, tepidis liquoribus, et vestibus calorem corporis coercentibus.

*Sialagoga.* Præcipuus horum est hydrargyrus; rarò adhibetur nisi scillis conjunctus, vel ubi morbus ex viscerum obstructione processerit; hic non vi evacuante sed discutiente agit.

Si conatus ad aquam illiciendam per itinera naturâ constituta frustrati sint, ad artem chirurgicam confugiendum est. Educatur aqua vesicatoriis, fonticulis vel thoracis paracentesi; an fausto eventu perficiatur paracentesis operatio, multùm inter se dissentiêrunt omnis ævi scriptores, alii collaudantes, alii autem non minus damnantes. Sed eam sæpe in usum feliciter revoca-

tam

tam fuisse, testati sunt multi, et quidem haud parvi nominis, auctores. Vesicatoria dorso, pectori vel lateribus applicata ad effusionem minuendam magnoperè profunt. Sed cum hydrope laborantes debilitate plerumque obruti sunt, timendum est, ne gangræna cutis vesicationi superveniat.

3tio, Morbum recidivum arcere.

Quum hic morbus ex totius systematis debilitate sæpissimè pendet, et nullus alius existit cujus reditus facilius invenitur; ideo, vel ante evacuationem aquæ, plerumque proderit, tonica remedia administrare, et in eorum usu perstare, donec robur pristinum corpori redit. Systematis tonus restaurandus est, diætâ nutrienti, exercitatione, remediis roborantibus et frictione.

*Diaeta*, constare debet ex cibo facili concoctu, et magnum corpori nutrimentum supeditante, pane bene fermentato, ovis, et carne juniorum animalium; pro potu liquores stimulantes et astringentes, ut vinum generosum



sum et cerevisia; sed liquores aquosi evitandi sunt.

*Exercitatio.* Morbo recidivo occurrere nihil efficacius invenitur quam exercitatio; solida roborat, circuitum sanguinis accelerat, menti hilaritatem conciliat, appetitum bonum et sanam cibi concoctionem efficit, excretiones universas, et præcipuè cutaneam, promovet, sanguinis partes nimis aquosas evacuat; et ut evacuationes suppressæ hydropem haud rarò gignunt, sic eadem auctæ morbi reditui obviam ire multum proficiunt. Præterea exercitatio valvulares lymphaticas stimulat, ut humorem effusum citius auferant. Sed cum hydropici nunquam firmo robore gaudent, cavendum est ne exercitatio sit nimis violens vel diuturna; labor enim immodicus fatigationem et debilitatem inducit. Gestatio ambulationi anteponenda, donec vires paulatim labori assueverint.

*Tonica.* Tonicorum validissima sunt chalybeata, cinchona officinalis, amara, et acida, quæ per dotes astringentes agunt, corpora nostra firmant, musculis

musculis tonum restituunt, et hoc modo debilitati occurrunt.

*Friclio*, ad corpus roborandum, et circuitum sanguinis promovendum, multum potest; perficiatur manu nudo vel panno laneo; sed ne remedium, ob simplicitatem ejus, aspernat æger, haud abs re erit pannum oleo quodam imbuere.

## F I N I S.





# DE HYDROTHORACE

multis tamen rebus et hoc modo debet

tali occurrere.

Typis, ad corpus reponendum, et circa

tum sanguinis promoverendum, multum potest

perficere namque nullo vel parvo laqueo; sed

no remedium, ob simplicitatem eius, alperit

eger, hanc abs re est pannum oleo quodam

triphoro.

V I N I S.

